

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Amor ad
cum fonte primo

Tanto quisque a superno amore disiungitur,
quanto inferius delectatur.

Nunquam est amor Dei ociosus.
Operatur enim magna si est,
si autem operari renuit, amor non est.

Gregorius in omelia.

Nam
tanto quisque a superno amore disiungitur,
quanto inferius delectatur.

Vnde et adhuc subditur: *Qui non diligit me sermones meos non seruat.* Ad uosmetipsos ergo, fratres carissimi, introrsus redite, si Deum uere amatis exquirite.

Nec tamen sibi aliquis credat quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens et uita requiratur.

Numquam est Dei amor otiosus.
Operatur etenim magna, si est;
si uero operari renuit, amor non est.

Gregorius Magnus, *Homiliae in euangelia*, 2.30.2 (CCSL 141, R. Étaix ed., p.257, ll.37-45).